19

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

STAPHYLOMATE FUNGOSO

QUAM

ANNUENTE DEO T. O. M.

EX AUCTORITATE NEC NON CONSENSU

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

IN ALMA LUDOVICIANA

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLENNI

MAGNIF. ET EXCELLENTISS. DNN. PROFESSORUM

EXAMINI SUBMITTIT

GODOFREDUS HOERLE

LAUTERBACENSIS MED. PRACT.

AD DIEM XI. AUG. MDCCXLVI.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

GIESSAE,

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.

VIRIS.

PERILLVSTRIBVS. GENEROSISSIMIS. ATQVE. EXCELLENTISSIMIS.

DOMINIS.

S. R. I. LIBERIS.

BARONIBVS.

DE. RIEDESEL.

PATRIAE. PATRIBVS.

DOMINIS. SVIS. GRATIOSISSIMIS.

AD. VITAE. TERMINVM. DEVOTO. PECTORE. COLENDIS.

HANC. DISSERTATIONEM. INAVGVRALEM.

TANQVAM.

INGENVVM. OBSERVANTIAE. SVAE.

DOCVMENTVM.

AC. ANIMI. DEVOTISSIMI. PIGNVS.

SVBMISSISSIMO. ANIMI. CVLTV.

OFFERT.

INSIMVLQVE.

DEVM. T. O. M.

VT

DIVINISSIMAE. PRAESTANTISSIMAEQVE.

GRATIAE. SVAE.

RIVOS. AMPLISSIMOS.

LARGISSIMO. FLVXV. IN. EORVM. CAPITA.

EFFVNDERE.

VT.

SALVOS. ATQVE. INCOLVMES.

SVBDITORVM. VOTIS.

ADHVC. DIV. SVPERSTITES.

SERVARE.

VT.

DENIQVE. NON. NISI.

EMENSO. DIVTVRNAE. ET. FELICISSIMAE.

VITAE. SPATIO.

RELICTIS. TANTIS.

MERITORVM. VIRTVTVM. SAPIENTIAE.

ET. GRATIAE.

VESTIGIIS.

TANDEM.

SEMPITERNA. FELICITATE.

PERFRVI. DIGNETVR.

REPETITIS. VICIBVS.

IMPLORAT.

AVCTOR.

Q. D. B. V.

Lectori beneuolo ſalutem.

QVo artificioſior machina, eo corruptibilior potiſſimum obſeruatur. Haec propoſitio demonſtrabilis, multis, ſi placeret, illuſtrari poſſet inſtrumentorum mechanicorum exemplis; ſed & ſpatii & materiae vetat ratio. Haud incongruum itaque erit, ſi lemmatice hoc in oculorum fabricam ad miraculum vsque artificioſiſſime ſtructam pono; machinam enim oculi artificioſiſſimam eſſe, nemo non annuet, qui ſectionibus interfuit anatomicis; corruptibilitas ac pronitas ad aegrotandum autem eiusdem e farragine adfectuum morboſorum abundantiſſime patent. Verum enim vero diuerſitatem harum denominationum quod adtinet, multae earum cenſurae merito ſubiici mererentur & pathologicae & therapeuticae. Sed hoc limatiori aliorum iudicio relinquo. Materiam inſuper de Staphylomate fungoſo vt pro diſſertatione mea inaugurali ſelegerim, caſus quidam clinicus mihi obueniens praebuit anſam. Videlicet virgo quaedam 22. annorum temperamenti ſanguineo-phlegmatici, aetatis ipſius anno decimo octauo (iuxta eius relationem) languida ob ſpiſſitudinem humorum laborauit in menſium retentione, quam poſtea varii motus congeſtorii inprimis vertigines ac cephalalgiae ſecutae fuerunt pertinaciſſimae, donec tandem ophthalmia ſeroſa enata eſt admodum grauis,

uis, quae ob diuturnam tolerationem non viſus plane amiſſionem ſolum; verum etiam maximam oculi deformitatem nempe totius bulbi intumeſcentiam atque exeſionem tunicae corneae, hinc ſtaphyloma intulit, quod ſequentibus annis non modo maius maiusque euadit, ita quidem, vt extra palpebrarum margines ad longitudinem fere internodii cuiusdam digiti promineret, ſed & mere fungoſam deinceps indueret indolem. Haec pauca de hiſtoria morbi praemittere conſultum eſſe duxi, plura diſſertationis limites commonſtrent: ii praeterea, qui in re medica plane hoſpites non ſunt, facile intelligent, quid aliis haec debeat diſſertatio, quid non. Ante autem quam ipſum diſſertationis nucleum adtingo, gratiſſimum publice profiteor animum, fidis, quos vnquam habui praeceptoribus, quos inter pia mente, reuerenterque nominare liceat Viros ampliſſimos, excellentiſſimos atque experientiſſimos nempe D. D. IO. IVNCKERVM in alma Fridericiana Med. P.P. Ord. nec non D. D. SAMVELEM SCHAARSCHMIDIVM Colleg. Medico-chirurgici Berolinenſis Prof. longe celeb. quorum eruditione, indefeſſa inquam diligentia, factum eſt, vt in litteris medicis varii generis profecerim, quo aliquando aedificium meae felicitatis poſſim exſtruere. Seruet VOS ſummus rerum conditor, & omni felicitatis genere VOS cumulet, Ceterum ſupplex veneror Diuinum Numen, velit hiſce meis auſibus fauere atque ex alto benedicere. Tandem L. B. hunc meum laborem aequo animo perlegas inſimulque perpendas quaeſo: omnium habere memoriam & penitus in nullis errare, Medici diuini, non vero mortalis eſſe.

Vale mihique faue.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA
DE
STAPHYLOMATE FVNGOSO

§. I.

EX inſcriptione diſſertationis praeſentis quilibet artis Phoebeae gnarus facile videbit, me in illa fari de adfectu oculi morboſo non ſimplici, ſed ex phyſica diſpoſitione ac conſtitutione compoſito. Haud incongruum me itaque facturum arbitror, ſi oculi in ſtatu ſecundum naturam explicationem aliqualem conciſam quidem, ſufficientem tamen praemittam.

§. II.

Viſus organon ſenſorium ſunt machinae iſtae rotundae artificioſiſſimae, ſecuritatis cauſſa oſſeis incluſae foſſis, in quarum alterando productis mutationibus rerum continentur rationes viſibilium. Hae machinae ab Auctoribus anatomicis dicuntur oculi, ac in ſtatu

naturali

naturali diſpeſcuntur in partes oculum ambientes & oculum ſtricte ſic dictum ſeu bulbum.

§. III.

Priores, partes nimirum oculos ambientes ſunt antra illa oſſea, quorum quodlibet ſex oſſibus eſt compoſitum, nempe oſſi coronali, ethmoideo, ſphaenoideo, lachrymali, maxillari atque zygomatico, & hae antra nominantur orbitae.

§. IV.

Externe conſpectui ſe ſiſtunt palpebrae ſeu partes illae oculos tegentes, claudentes, multa incommoda iis occurrentia auertentes, irrigantes abſtergentesue, quae epidermide, cute ac tribus muſculis & quidem duobus propriis & vno communi conſtant. Horum palpebram ſuperiorem eleuans, eleuator palpebrae ſuperioris; palpebram inferiorem deprimens, depreſſor palpebrae inferioris; vtrasque palpebras ſimul claudens: orbicularis palpebrarum audit.

§. V.

Palpebrarum concurſus vtrinque vnum format angulum, quorum interior maior, exterior, minor obſeruatur, & hi anguli vocantur, canthi. In quolibet palpebrarum margine limbus cartilagineus, arcum repraeſentans incuruatum exſiſtit, ταρσος dictus, cui pili ſunt implantati, qui cilia adpellantur, oculosque aduerſus externas iniurias praemuniunt leues. His reſpondent ſupercilia, ſeu arcus duo piloſi ſupra orbitas §. III. poſiti, ſudorem demanantem recipientes, ne oculis vis inferatur. Pars eorum naſo vicina caput; oppoſita tempora verſus vero cauda dici moris eſt. Porro in tarſi

ſi palpebrarum facie interiore disquiſitioni anatomicae ſeſe offerunt glandulae ſebaceae a Meibomio inuentae, ſubflauae, granuloſae, admodum paruae, incerti numeri, per plures ſeries ſibi inuicem incumbentes, oſculisque apertis liquidum quoddam eructantes oleoſum, quo palpebrarum margines inungi, omnisue moleſtus adtritus praepediri poſſit. Praeterea ſuperficies palpebrarum interior membrana quadam eſt circumueſtita tenui, quae ad oras orbitarum §. III. adnexa, oculi §. II. faciem tegit anteriorem. Ramuſculis palpebrae inſuper inſtructae ſunt vaſculoſiſſimis; arterioſos quippe a carotide externa; venoſos vero a temporali & frontali accipiunt copioſiſſimos. Neruulos ophthalmicus dat largos.

§. VI.

Succedunt carunculae lachrymales, ſeu duo illa rubra corpuſcula in cuiusuis oculi cantho maiori, §. V. ſita & inde paulo protuberantia, quae in multis ſuis protuberantiis glanduloſis humorem tenuiſſimum, lachrymarum nomine ſecretum per poros ſuos excernunt, ne areſcat oculus, vel cum vicinis concreſcat partibus. Eminentiarum autem rubrarum vſus in eo conſiſtit, ne palpebrae oculi bulbum §. II. perfecte claudere valeant; ſed per has eminentias cauum maneat, in quo humoris excreti portio adhuc reſtans ac collecta per foramina duo, puncta lachrymalia dicta, narium oſſibus inſculpta, vtrinque in cantho maiori §. V. ſita, abſorberi, ad ſaccum lachrymalem dimitti, atque in canalem naſalem oſſibus vnguis ac maxillaribus in-

ſculptum, infundi commode queat, ex quo denique vel ad nares vel pharyngem ablegatur.

§. VII.

Supra minorem ſeu externum oculi canthum §. V. obſeruamus in quolibet oculo glandulam vnam olim innominatam; hodie vero lachrymalem dictam, in orbita locatam, indeque angulum verſus maiorem §. cit. ſub palpebra ſuperiori extenſam, carunculis §. VI. deſcriptis paulo maiorem, quae humorem aquoſo-ſalſum, blandum oculum irrigantem ſecernit quem poſtea, palpebrarum motum reddendi faciliorem, oculumque a concretione cum palpebris praeſeruandi ergo, ductulis aliquot excretoriis in vltimam palpebrae ſuperficiem internam deſinentibus amandat, punctisue lachrymalibus §. cit. hauriendum linquit. Adipis copia, quae in interſtitiis muſculorum inuenitur, ad oculi facilitandum motum eumdemque muniendum, haud minus inſeruit.

§. VIII.

Oculus mouetur agentibus ſex muſculis; quorum ratione directionis quatuor recti; duo vero obliqui audiunt. Vſus horum muſculorum ſingulares, ſingulares ipſis quoque pepererunt denominationes. Sic quatuor rectorum nominatur. 1.) Adtollens ſeu ſuperbus, qui ex foramine nerui optici prodiens, in tunicam corneam ſuperius ſe inferens oculum attollit. 2.) Deprimens ſeu humilis. Hic iuxta foramen nerui optici oritur, in tunicam corneam haud procul ab ambitu illius inſeritur, oculique bulbum recta deorſum deprimit.

3.)

3.) Abducens ſeu indignabundus, qui caput ſuum iuxta nerui optici foramen firmat, caudamque tunicae corneae lateri externo inſinuans oculum verſus exteriora nempe tempora trahit. 4.) Adducens ſeu bibitorius, cuius caput iuxta nerui optici foramen munitum caudaque in tunicae corneae latus internum inſerta obſeruatur ac oculum ad interiora nempe naſum trahit. Omnes vero horum muſculorum inſertiones late ac tenuiter tendineſcentes corneam inter & coniunctiuam tunicam coaleſcunt, & dum reliquum bulbi tegunt, corneam terminant transparentem. Obliqui ſeu rotatores duo muſculi amatorii quoque adpellantur & ſunt 1.) Obliquus maior, ſuperior ſeu Trochlearis, qui iuxta bibitorium a foramine nerui optici carneus exſiſtit, in rotundum tenuiſſimum atque longiſſimum tendinem mutatus per trochleam in tunicam corneam inter muſculum adtollentem & adducentem tendit, oculumue oblique ſurſum trahit. 2.) Obliquus minor ſeu inferior ab ora interna orbitae circa radicem proceſſus naſalis oſſis maxillaris incipit, in tunicam corneam inter deprimentem & abducentem ſeſe inſerit oculumque oblique deorſum trahunt. De hiſce muſculis duobus obliquis notandum, quod prior hac ex ratione Trochlearis audiat, quoniam quaſi per trochleam circumrotatur, quae trochlea eſt cartilago; mediante ligamento membranaceo ad canthi maioris §. V. latus adfixa, intra anteriora orbitae §. III. propendens. Porro duo hi muſculi ſi coniunctim agunt, oculum circumagunt ſeu in gyrum mouent.

§. IX.

Oculum ſtricte ſic dictum ſeu oculi bulbum conſtituunt tunicae, humores, vaſa ac nerui. Tunicae ſeu membranae illae fibroſo-neruoſae, dilatabiles, exquiſitiſſimo ſenſu praeditae oculum inueſtientes, commode diſpeſci poſſunt in communes & proprias. Priorum cenſui adnumerantur 1.) tunica coniunctiua ſeu ſubſtantia illa membranacea, orbitarum oris adnexa palpebrarumque ſuperficiem circumueſtiens internam §. V. 2) membrana quaedam tendinoſa, perlucida, e muſculorum quatuor rectorum §. VIII. tendinibus expandendo progerminans albumque oculi conſtituens, quae tunica adnata, albuginea, coniunctiua audit. Haec in ambitu anteriore ſolum oculo obducitur, ſenſuque exquiſitiſſimo, vaſculis ſanguiferis & foramine rotundo in medio eſt inſtructa, pro conſpectu tunicae corneae, per quam oculi iris ac pupilla transparere valent. 3.) Omnes membranae generatim humores oculi inueſtientes. Sub propriarum tunicarum nomine veniunt tunicae humores ſpeciatim circumueſtientes oculi quoslibet.

§. X.

Oculus globum fere perfectum membranaceum repraeſentans ex tunicis eſt conſtitutus §.IX., quarum prima exterior, vbi opaca exſiſtit, ſclerotica, vbi vero diaphana ac in eminentiorem figuram anterius protuberat, ob ſimilitudinem, quam cum cornu polito habet communem, cornea ſeu ceratodes adpellatur. Haec tunica ex membranaceis ſtratis per fibras adnexis tranſuerſales,

conſtans

conſtans, adeoque in varias lamellas diuidua, a dura meninge originèm habet, humoremque aqueum includit. Scleroticae ſubiacet quaedam hac tenuior tunica duplicata vaſculis repleta copioſiſſimis, nigroreue obducta; quae dicitur choroidea, cuius interior lamella ab inuentore Ruyſchiana nuncupari adſolet. Producitur a pia matre, illiusque anterior pars a colore, quem cum vuae pellicula habet analogum, rhagoides, ſeu vuea, item aciniformis cognominatur, quae per corneam eſt conſpicua. In medio huius eſt perforata, eum quidem in finem, vt luminis radii in oculum intromitti, aperturaque illa pupilla ſeu pupula dicta, formari queat, quae ope fibrarum muſcularium modo conſtringi, modo dilatari eſt apta. Fibrae orbiculares conſtrictionem producentes ſpeciali nomine ſphincter pupillae audiunt; dilatatio autem peragitur ope proceſſuum ciliarium, qui ſunt filamenta tenuia, aterrimo pigmento obducta, in facie vueae poſteriore locata, pertunicam vitream ad cryſtallinam vsque extenſa. Haec muſculoſa vaſculoſaque contextura mobilis non tantum pupillam dilatando, ſed & in obiectorum adſpectus huc illucue deflectendo, multum adiuuare videtur. In anteriore vueae facie adnotandus venit circulus ille fibroſus pupillae proximus, variis coloribus diſtinctus, iris dictus, qui in aliis niger, in aliis fuſcus, in aliis gryſeus, glaucus, coeruleus inuenitur, pupillae foramen cingit, atque anterius per corneam tranſparentem conſpicitur. Haec iris eſt productio piae matris neruum opticum inuoluentis, quae introrſum a circulo arterioſo ac venoſo

vaſcula ad- & reuehentia per vueam, choroideam, humorem vitreum & lentem cryſtallinam mirifice ſerpentia, accipit. Notari adhuc meretur ligamentum ciliare ſeu membrana illa duplicata ex circumferentia vueae tunicae progrediens, motui humoris vitrei & lentis cryſtallinae deſtinata. Prioribus tunicis iamiam deſcriptis, ſepoſitis, vna adhuc ceu organon viſus primarium, reſtat perpendenda, nempe tunica retina ſeu amphibleſtroides, quae eſt quaſi quaedam portionis medulloſae nerui optici in fundo bulbi locati, alba mucoſaque expanſio, ſpecies viſibiles impreſſas camerae inſtar obſcurae excipiens atque repraeſentans. Ceterum oculi ſtricte ſic dicti cauitas ab auctoribus anatomicis diſtinguitur in duas cameras, nempe anteriorem & poſteriorem; quarum antica ſpatium illud inter vueam atque corneam continet; poſtica vero inter vueam ac lentem cryſtallinam eſt ſita, humoreque aqueo repleta. Harum camerarum anterior maior poſteriore obſeruatur.

§. XI.

Cameras oculi §. X. a tunicis formatas, luminis radios refringendi ergo complent 1) Humor aqueus, a conſiſtentia & colore ſic dictus, tunicam corneam immediate adtingens, admodum diaphanus, odoris expers, inque iuuentute perlucidiſſimus obſeruatur, in quo tunica vuea §. cit. libere quaſi fluctuat. Hic humor non partes ſolum lubricat, ac in perluciditate conſeruat; verum etiam flaccidae corneae conuexitatem aequaliter tenſam ſeruat, vueamque ſuſpenſam ſuſtinet.

2.)

2.) Lens cryſtallina ob lentis figurae ſpeciem referentis ita cognominata, quae olim humor credebatur eſſe, humori aqueo ſubiacet, intraque tunicae vueae aperturam quaſi vitrum cauſticum, foramini eſt impoſitum. Subſtantia ejus ex multis ſegmentis ſphaericis ſibi immediate impoſitis pluribusque lamellis perlucidis, mere vaſculoſis, humorem perlucidiſſimum gerentibus eſt compoſita, praetereaque membranula propria, arachnoidea dicta, inueſtita ſubtiliſſima. Haec lens ope proceſſuum ciliarium §. cit. vueae adnexa, radios vndique per pupillam §. cit. intromiſſos colligit ac refringit.
3.) Humor vitreus reliquis duobus copioſior obſeruatur, ac multiuariis tenuiſſimis membranulis veſicularibus, cauernoſis, corporibus quibusdam diaphanis, gelatinae perlucidiſſimae ſimilibus, impraegnatis, conſtat, poſteriorem oculi partem complet, ac tunica quadam admodum ſubtili, vitrea dicta, eſt circumueſtita, quae retinae §. cit. partem adtingit poſteriorem.

§. XII.

Pro oculorem tunicis ac humoribus nutriendis vaſa inſeruiunt ſanguiflua, ad miraculum vsque artificioſiſſime iis intertexta, quorum arterioſa, & quidem quas producit arteria carotis externa, arteriae nempe maxillaris externa, temporalis & frontalis, pluribus ramificationibus proſpiciunt integumentis, toti muſculo palpebrarum orbiculari. Eadem carotis externa eiicit maxillarem internam, quae ramum notabilem in orbitam per fiſſuram orbitalem inferiorem emittit, qui diſtribuitur per perioſteum orbitae, per muſculos o-

culi

culi, per ſuperioris palpebrae eleuatorem, pinguedinem, glandulam lachrymalem, tunicam coniunctiuam oculi §. IX. & palpebrarum, & carunculam communicat cum carotide interna. Arteria carotis interna cranium ingreſſa, ramulos emittit neruum opticum comitantes; poſtquam ſcleroticam §. X. perforarunt, in quatuor quinqueue locis perforant mox laminam externam choroideae §. cit. & formant inter illam & laminam internam vaſa vorticoſa ſeu circulum arterioſum §. cit. Sanguinem oculo adductum reſorbendo ſuſcipiunt vaſa venoſa, quae illum e ramis minoribus ad maiores promouent, ac partim ſinubus durae matris amandant, partim iugularibus venis readfundunt, quae venae deinceps in ſubclauiae & poſtea cauae cauum deſinunt.

§. XIII.

Reſtant oculi nerui perpendendi. Horum princeps merito nuncupari meretur neruus opticus ſeu viſorius, qui a medullae oblongatae cruribus oritur, ac dura piaque meninge circumcinctus per foramen in poſteriore orbitae parte locatum, oculi bulbum lateraliter ingreditur, ipſamque tunicam retinam efformat. Porro par tertium nempe oculorum motorium e baſi medullae oblongatae pone infundibulum emergens prope orbitam in ſex diuiditur ramos, qui 1) ad muſc. palpebrae eleuatorem §. IV. 2) ad oculi eleuatorem ſeu adtollentem ſuperbum dictum §. VIII. 3) ad depreſſorem ſeu humilem 4) ad adducentem ſeu bibitorium 5) ad obliquum minorem ſeu inferiorem §. cit. 6) ad

oculo-

oculorum tunicas §. IX. excurrunt. Par quartum pateticum dictum, e medullae oblongatae parte ſuperiore egrediens per foramen magnum oblongum in muſculum trochlearem impenditur. Paris quinti diuiſi vulgo dicti guſtatorii ramus primus ophthalmicus in oculorum palpebras §. V. & glandulas ſe diffundit; & tandem par ſextum, quod abducens vocari moris eſt, quoad maximam ſui partem muſculo abducenti ſeu indignatorio ramulos impertitur: Qui vero vberiorem accuratioremque vaſorum cum ſanguineorum, tum neruorum diſtributionem per has partes, ſcire voluerit, adeat alterius illius Veſalii, WINSLOVII Tr. quem inſcribit: *Expoſition Anatomique de la ſtructure du corps humain Tom. IV. pag. 285. & ſeqq.*

§. XIV.

Organorum oculos conſtituentium §. IX. ſeqq. determinatio accidentium, ſtatum eorum ſiſtit, qui ſi a natura determinatur, naturalis audit. Haec autem determinatio requirit vires proportionatas, quo pro animae ſtatu horum organorum motus augeri & remitti queant. Et quum naturae vires in corpore humano viuo agant vel voluntarie, vel coacte, praetereaeue ab animae voluntate eiusque ſtatu actio vis dependeat (motus enim voluntarii a ſola excitantur & omittuntur voluntate) hinc vel repraeſentationes, vel ſenſatio & imaginatio illos antecedunt.

§. XV.

Quodſi organorum oculum conſtituentium determinatio, aliter, ac in ſtatu naturali §. XIV. requiritur,

 actua-

actuatur, determinatio haec ſtatum efficit praeternaturalem, qui oculi morbus dici adſolet & a ſublato aequali actionum ſolidorum & fluidorum ſucceſſu dependet.

§. XVI.

Structura organorum ſolido-molliorum laxe cohaerentium facile eſt ſolutu E. & tunicarum oculi §. XX. Haec autem ſolutio contingere poteſt vel a vulnere ipſis exterius illato, vel ab vlceroſa facta corruptione horum organorum.

§. XVII.

Quodlibet corpus creſcit, ſi maius euadit; iam magnitudo eſt partium multitudo; ſi ergo oculus praeternaturaliter creſcit, plures illi accedant partes neceſſe eſt, ac in ſtatu naturali requiruntur §. XIV. XV. quod fit partium nutritiarum adpoſitione ac adſimilatione; omne enim corpus ſi creſcit ex nutrimento creſcit per princip. phyſiolog.

§. XVIII.

Ampliatio & extenſio partis corporis animati praeter naturalem modum tumor ſalutatur: eiusmodi ſpecies per tunicam corneam laeſam ab vuea procidente aliquando exſiſtit, atque ita obſeruatur & vocatur ſtaphyloma. STAPHYLOMA itaque eſt tumor vueae ex tunica cornea laeſa acini inſtar proſiliens, ita quidem; vt oculus laeſus a palpebris tegi minus valeat, adeoque ſenſibus externis perceptibilis.

§. XIX.

Concrementum §. XVII. carnoſum, ſpongioſum in partibus tendineo-neruoſis propullulans, dicitur

fungus. Hinc facile patebit, quid per ſtaphyloma fungoſum delineetur.

§. XX.

Corporis animalis partes ex ſolidis aequae ac fluidis compoſitae per *princ. anatom.* tanquam corpora ſimplicibus conſtantia gaudent extenſione per *princ. metaphyſ.* Quum vero omne compoſitum ex vnione plurium reſultans, figuramque habens, non ratione vnionis, ſed partium intrinſecus differre poſſit. E. limitatam extenſionem habet, E. magnitudinem determinatam. Quodſi itaque haec determinata magnitudo praeternaturalem ſiſtit ſtatum §. XV. vel tumorem §. XVIII. a nulla violenta exacerbatione productum; ratio huius exſiſtentiae adſit oportet, quae eſt vel in partibus fluidis, vel ſolidis, vel vtrisque ſimul quaerenda. Si in fluidis, hae ad tumoris eminentiam conſpicuam commouendo copioſiori quantitate adfunduntur, ibique colliguntur, & haec adfuſio ac collectio dicitur congeſtio. per *princ. patholog.* In aprico itaque eſt tumorem proximius a congeſtione fluidorum dependere debere. Si in ſolidis, itidem congeſtio fluidi, in hac parte contenti tumorem producit; nam cum mixtio corporis humani ob modum compoſitionis infirma & haud durabilis exſiſtat, ita, vt non modo accedente continuo adtritu ſolidorum & fluidorum facile ſua ſponte reſoluatur; ſed & partes reſolutae e corpore proſcribantur; neceſſe eſt, vt in locum earum partium, quae corpori hoc modo decedunt, nouae adponantur, quod fit nutritione per *princ. phyſiol.* Iam cum haec fluidis continuo ſolida perfluentibus perficiatur, atque ita ſolida

generentur ex ipſis fluidis; nemo non videbit, tumorem §. XVIII. praeternaturalem non produci a ſolidis in ſe conſideratis, ſed potius fluidorum in illis contentorum maiori adfluxu i. e. congeſtione. In fluidis & ſolidis ſimul tumoris cuiusdam rationem exſiſtentiae quaerere velle, antecedentia haud comprobant. E. omnis tumor in parte quadam corporis humani viui exſiſtens, absque violentia formatus, natales ſuos debet congeſtioni fluidorum.

§. XXI.

Ratio morbi exſiſtentis organi cuiusdam, vim eius praeternaturalem accuſat, E. haec eſt eius cauſſa. Quicquid E. ſolidorum ſtructuram & fluidorum influxum ita mutat, vt ſolidorum vis maior vel minor, maiore vi fluidorum reddatur, proportionem virium naturae & actionum aequalitatem tollit E. eſt morbi cauſſa.

§. XXII.

Proportio haecce atque actionum aequalitas inaequalis non ſolum a copioſiori & inconuenienti ſolidorum aeque ac fluidorum maiori vel minori conſtitutione, ſed & a corporibus vi praeditis ſolida corporis noſtri extrinſece adtingentibus, deſtruendi cauſſa iis illatis, dependet. Quae E. vim ſolidorum ac fluidorum perdunt, ſunt morborum cauſſae. §. XXI.

§. XXIII.

Morbi cauſſae mutant vires naturales atque ita motus naturales in praeternaturales ſeu morboſos inuertunt. Iam cum cauſſa cauſſae ſit cauſſa cauſſati per *princ. metaphyſ.* cauſſae morbi erunt cauſſae motuum morboſorum.

§. XXIV.

Oculi cauitates §. X. vaſaque §. XII. fluidis repleta, inte-

interiora eius potiſſimum conſtituunt, ſenſibus E. externis haud ſunt perceptibilia. Impoſſibile itaque eſt, vt corpus peregrinum ſenſibus externis perceptibile ei inexſiſtat ſalua oculi ſtructura. Staphyloma E. a corpore eiusdem ſpeciei formari nequit ſ. XVIII. E. ſi a nulla violenta externa exacerbatione producitur, formatur vel a fluidis, vel a fibris tendineo-neruoſo-membranaceis § XX. vel ab vtrisque; hinc a fluidorum congeſtione §. XX. verſus oculum.

§. XXV.

Congeſtio fluidorum oculum verſus ſtaphyloma producere valet ſ. XX. XXIV. ſed vt ea per aliquod tempus duret neceſſe eſt, quo nimirum organorum oculum conſtituentium expanſio vltra naturalem modum conciliari, atque ita actionum ſolidorum & fluidorum aequalis ſucceſſus praepediri imo tolli poſſit.

ſ. XXVI.

Nulla congeſtio absque motu produci poteſt per *princip. patholog.* congeſtio enim in maiori ac copioſiori fluidorum commotione ac adfuſione conſiſtit §. XX. quae motum ſolidorum requirit auctum. Iam cum fluidorum adfuſio verſus aliquem locum ac ibidem collectio i. e. congeſtio motu producatur, fluidorum autem motus a ſolidorum vi cum vi animae in ſolida dependeat, fluidorumq; vis cum vi animae in haec motum producat ſolidorum; in qualibet congeſtione vires fluidorum ac ſolidorum mutuantur, i. e. in ſe inuicem agunt & reagunt. E. ſi in congeſtione motus in vtrisque producendus, mox actio ſolidorum, maior vel minor actione fluidorum, mox horum actio actione illorum debet exſiſtere.

§. XXVII.

Quando ſanguinis craſis ita eſt comparata, vt ex inſtinctu naturae in ſolido-molliorum ſtructuram naturalem copioſiori quantitate ac in ſtatu naturali admitti, & libere tranſire queat, verſus loca, quae ad ſanguinis perruptionem & effluxum apta ſunt, atque ita haemorrhagiis deſtinata, reſtringitur, & haec congeſtio naturae intentioni reſpondens, dicitur completa; quodſi vero aucta ſanguinis quantitas eiusque conſiſtentia craſſior haud permittant, ſanguis vt per ſubtiliſſimos canales ac meatus penetrare valeat; impeditior per ſolido-molliora fit perfluxus, atque ita finali naturae euacuandi intentioni minus ſatisfieri poteſt; ſed potius eminus latiore ambitu locorum ad actuales haemorrhagias antehac adhibitorum vicinitates occupantur, vocatur haec congeſtio incompleta.

§. XXVIII.

Humorum quantitas excedens pluribus morbis, quam qualitas deprauata praebet anſam; prouida enim natura haud erronee, ſed ob fines quosdam obtinendos, abundantem in corpore humano generat ſanguinem, vt nimirum in iunioribus incrementum corporis perficiatur, in adultioribus vigor organorum & vires ad labores perferantur, in ſexu feminino, prae virili magis abundantiae ſanguinis obnoxio, negotium generationis profpiciatur, in quibus circumſtantiis abundantia humorum omnino requiritur. Quum autem volumen vaſorum & partium ſolido-molliorum ſtructura & fluidorum in ea influxus & diſtendendo & expandendo mutentur, vis quoque harum partium mutatur

tatur E. in praeternaturalem inuertuntur ſtatum §. XV. E. morboſum §. XXIII.

§. XXIX.

Congeſtiones pro differentia aetatis aliarumque diſpoſitionum verſus loca excretoria haemorrhagica per miniſterium motus tonici producuntur per *princ. pathol.* fiunt itaque vel completae vel incompletae §. XVII. Si prius, diſtenſio ac expanſio vaſorum & partium ſolido - molliorum per haemorrhagiam ſubſequentem remouetur, E. motus ſanguinis progreſſiuus facilitatur, & incommoda grauia, quae abundantia humorum inducere valet, praecauentur; Sin poſterius, variae conſtrictiones ſpasmodicae ob ſtagnationem & ſtaſin translatoriam ſanguinis verſus partes congeſti auertendam & cohibendam oboriuntur.

§. XXX.

Qualibet congeſtione exſiſtente, fluida vltra, quam ſatis eſt in aliquem partem impelluntur E. hae inaequaliter augentur. Quodſi vero organa extenſione gaudentia impulſis fluidis magis repleantur ac diſtendantur, partes eorum ſiue poroſae ſiue vaſculoſae, intumeſcunt. Vnde ſi quantitas fluidorum congeſtorum intumeſcentiam parit, horum reniſui partes ab humoribus diſtentae pro quantitate & expanſione eorumdem reſiſtere nequeunt; hinc ſolido - molliorum fibrae textura & ſtructura perit E. vis ab his dependens.

§. XXXI.

Diaſtolico motu ſyſtolicum ſuperante, fluida a ſolidis minus comprimuntur & propelluntur per *princ. phyſiolog.* hinc minus mouentur. Quod, ſi in aliqua

cor-

corporis parte fit, haec ſanguinem copioſe adfluentem quidem admittere, ſed eumdem iuxta hanc proportionem tam facile & expedite refluendum expellere minus valet. Hinc impeditus valde progreſſus ac tranſitus ſanguinis i. e. ſtagnatio inducatur oportet.

§. XXXII.

Solido-molliorum vi imminuta §. XXX. & aucta fluidorum in iis contentorum quantitate ac conſiſtentia, mutua habitudo §. XXVI. partium ſolido-molliorum & humorum ad easdem pertinentium ac pertingentium intercipitur; hinc quantitas fluidorum aucta, quoniam a ſolido-mollioribus contrahendo expelli nequit, obhaereſcit atque abſolute progreſſu vitali eſt deſtituta, ſtatumque conciliat praeternaturalem, qui humorum ſtaſis adpellatur. Haec autem ſtaſis ſemper excipit ſtagnationem §. XXXI.

§. XXXIII.

Sanguis in veram ſtaſin deductus §. XXXII. ſtagnationem fluidorum praegreſſam excipit §. cit. quae ſi in vaſis anguſtioribus adcumulatione humorum congeſtorum diſtenſis ſubſiſtit, inflammationem generatim conſtituit, tumore, rubedine, ac calore coniunctam. Haec autem inflammatio ob humorum diuerſitatem in diuerſis quoque contingit partibus, atque ita diuerſas inflammationum ſpecies parit. Euoluantur, quae Illuſtr. IO. IVNCKERVS Praeceptor ſemper pie venerandus & grato animo colendus in Therap. Spec. Tab. XX. de inflammatione generatim ſcribit.

§. XXXIV.

Sanguis cum impetu congeſtorio ad oculi tunicam

cam albugineam ſeu adnatam §. IX. adpulſus ibidemque ſtagnans §. XXXI. ac poſtea in veram ſtaſin deductus §. XXXII. ob tubulorum ſanguiuehorum teneram anguſtiam in hac tunica expanſionem praeternaturalem producit, qua vaſcula arterioſa, ſecundum naturam liquidum diaphanum, nullo colore tinctum, vehentia, a ſanguine valide diſtenduntur, inflammationemque §. XXXIII. ophthalmiam dictam generant, rubore, ardore & larga lachrymarum profuſione coniunctam, ſenſibusque externis perceptibilem. Haec autem ophthalmia pro cauſſa agnoſcit, vel ſtaſin ſanguinis ſtricte dicti, vel ſeri tantum. Si prius, vocatur vera ſeu ſanguinea; ſin poſterius, notha ſeu ſeroſa.

§. XXXV.

Oculorum tunicae exquiſitiſſimo ſenſu ſunt praeditae §. IX. E. etiam adnata §. cit. Iam cum ſenſatio ingrata, ex graui contactu & forti tenſione organi neruis praediti, dolorem ſiſtat, hunc vtramque ophthalmiam §. XXXIV. ſummam partium neruoſarum expanſionem patientem, ſemper exquiſitiſſime comitare patet.

§. XXXVI.

Exſiſtente in ophthalmia dolore §. XXXV. adcumulatio humorum verſus hanc augetur per *princ. pathol.* Hinc aucto motu augetur reſolutio, calor, expanſio & motus fluidorum inteſtinus per eadem *princ.* quare adfectus huius congeſtorio - inflammatorii partes ſeroſo-lymphaticae, ad motum inteſtinum prae aliis pronae, fortius compelluntur, ac tali modo remorantur, donec vaſa, quae hunc impetum diutius ſuſtinere nequeunt, disrumpantur, atque ita ſolutio continui conſequatur,

quae dicitur vlcus ſeu vlceratio per excretionem materiae limpido-acrem ſe prodens.

§. XXXVII.

Ruptis vaſculis, fluida ceu materiam vlceraſcentem, in ſe continentibus, tunicae tanquam partes humores circumcingentes §. IX. per continuam materiae limpido-acris §. XXXVI. eructationem ac humectationem relaxantur ac adroduntur, id quod tam diu durat, quousque corruptio humorum ſalſo acris in ea tunicae parte, qua pondus ob grauitatem materiae contentae maxime fundum petit, rupturam producat, qua facta, partes ſubiacentes intumeſcentes per vulnusculum vlceratione illatum in conſpectum veniunt. Quodſi itaque tunica adnata vna cum cornea anterius protuberante §. IX. vlcere quodam §. XXXVI. corripitur, aut vulnere hiatum nanciſcitur, proxime ſubiacens vuea per eiusmodi vulnus intumeſcendo procidit. E. generatur ſtaphyloma. §. XVIII.

§. XXXVIII.

Quodlibet vlcus, atque ita etiam §pho XXXVI. delineatum ceu vulnus eſt tractandum, cuius curationis tractatio mundificatione ac conſolidatione abſoluitur, per *princ. chirurg.* Sin minus haec actuentur, concrementum vlceri accedit fungoſo-fibroſum, caro luxurians dictum, quod adpoſitione & adſimilatione partium nutritiarum per tractum temporis maius euadit, donec indolem mere fungoſam induat §. XIX.; hinc ſtaphyloma fungoſum.

§. XXXIX.

Ex antecedentibus itaque concipi poteſt ſtaphyloma-

matis fungoſi geneſis ac fiendi modus ; formata ſcilicet congeſtione verſus oculi tunicam adnatam atque corneam tumor §. XVIII. ſtagnatio §. XXXI. ſtaſis §. XXXII. ophthalmia §. XXXIV. ac ſubſequens vlcus §. XXXVI. producitur, quo facto a materia erodente dein corneae ſtructura ſoluitur, ac vuea §. X. per rupturam, aut quodcunque vulnus illatum, procidit. Quodſi vero ex vlcere aperto caro luxurians §. XXXVIII. progerminat, quae in dies fungoſam repraeſentat ſubſtantiam, vsque tandem tantae exſiſtat molis, vt a palpebris obtegi minus valeat; hinc ſtaphyloma fungoſum. §. XVIII. XIX. Hanc ſtaphylomatis fungoſi geneſin oculi totius deformitatem parere, patet, imo ex deſcriptione §. XVIII. eluceſcit luculenter.

§. XL.

Si oculi textura, ſtructura & conformatio per ſtatum morboſum ita peruertitur, vt reſtitui minus poſſit, vis eius radios lucis recipiendi intercipitur, atque ita viſus perit. Iam cum ex prolixiore ophthalmiae duratione non oculi conſtitutio intime peruertatur ſolum; verum etiam ſtaphyloma producatur per *anteced.* Hinc in omni ſtaphylomate viſus amiſſio obſeruatur.

§. XLI.

Effectus motus morboſi a morbo exſiſtente productus, illique coexiſtens, nominatur ſymptoma, quod vel a natura ob morbum ſuperandum inſtituitur & vocatur actiuum; vel a materia morbifica prouenit & audit paſſiuum. Cum itaque ab ophthalmiae materia grauida vlceroſa ſtaphyloma producatur §. XXXVII. ſeqq. E. Staphyloma ceu ſymptoma paſſiuum ad ophthalmiam notham §. XXXIV. accedens eſt conſiderandum.

 §. XLII.

§. XLII.

Quae morbi exſiſtentiae vel aduentus cogitationem excitant, ſunt morbi ſigna: in cohibita ſeu praeternaturali functionum adminiſtratione, quae praeternaturalem ſupponit conſtitutionem partium, talium functionum organon conſtituentium, morbi conſiſtit cauſſa proxima. Staphylomatis E. fungoſi ſignum eſt eius cauſſa proxima. Aſt actum agerem, ſi absque neceſſitate in recenſendis ſtaphylomatis fungoſi pluribus ſignis prolixitate vterer; quippe ex definitione §. XVIII. XIX. definitum nempe ſtaphyloma fungoſum ſatis ſatisque minus incognitum redditur, & hac ratione manifeſtatur.

§. XLIII.

Morbi in corpore animato prouenientes ſubiectis gaudent per *princ. pathol.* E. & ſtaphyloma fungoſum §. XXXVII. Cum autem generatim homo prae brutis ad morbos maiorem habeatprocliuitatem per *experient.* hinc ſtaphyiomatis fungoſi ſubiectum generale eſt homo.

§. XLIV.

Indiuidua humana in aegrotando differunt ratione frequentiae & promptitudinis; hinc quibusdam maior prae aliis in ſtaphyloma inclinare, annuit poſſibilitas. Horum autem cenſui adnumerantur 1) Aetas iuuenilis & ſenilis, quoniam in priore ordinarie crebriores ac maiores verſus caput a natura diriguntur congeſtiones; in poſteriori autem deficiens partium ſolido molliorum robur tonicum obſeruatur, mediante quo alias natura in ſtatu vegetiori progreſſum ſanguinis ad-

adiuuare, ſe · & excretiones promouere & augere, abſterſiones, reſolutiones & diſcuſſiones perpetrare, adeoque diuerſis periculis atque imminentibus laeſionibus repugnare; hinc tam ad praeoccupandos futuros morbos, quam ad impetrandos ſalutares fines in morbis pro ſanitate reparanda hoc iuſto motus tonici directorio congrue vti valet. 2) Sexus ſequior prae nobiliori ob plurium circumſtantiarum rationes, praeprimis, ob faciliores anomalias menſtruae ſuae purgationis, reſpectiuam aliquam praerogatiuam ad aegrotandum, hinc quoque ſtaphyloma perpetiendum continet. 3) Temperamentum ſanguineum & phlegmatico-ſanguineum, quorum ſubiecta laxo ac ſpongioſo gaudent corporis habitu ac ob multitudinem particularum ſeroſarum parum de ſulphurea portione concomitantium, ſtaſibus humorum lymphatico-ſeroſorum ſunt expoſita, vnde ſucceſſiua fermenteſcens ſalino · acris diſſolutio ac corruptio atque ita ſtatus vlceroſus facile exoriri poteſt, qui ſuperficie tenus in cute maxime membranoſis & tendinoſis ſe exſerere adſolet partibus. Et haec recenſita momenta ſubiecta conſtituunt ſtaphylomatis ſpecialia.

§. XLV.

Pro ſpecialioribus ſtaphylomatis ſubjectis declarantur ſubiecta ophthalmiam altius radicatam perpeſſa. Cramben autem ſatis coctam recoquere mihi viderer, ſi in enucleandis hiſce ſubiectis prolixior eſſe vellem. Tandem ſubiecta ſtaphylomatis fungoſi ſpecialiſſima atque ſtrictiſſima ſunt homines, quorum oculis ſtaphyloma fungoſum de praeſenti inexſiſtit.

§. XLVI.

Staphyloma fungoſum ſi creſcere deſinit, atque ita determinatam acquiſiuit magnitudinem, duo concomitantur ſymptomata §. XLI. eſſentialia dira, nempe viſus abolitio §. XL. ac oculi maxima deformitas §. XXXIX. ne dicam de doloribus, qui ab expanſione partium oculi neruoſarum & vaſorum plane exilium inflatione ac diſtenſione §. XXX. ſeqq. procreantur. Et cum diſtenſio ac inflatio partium oculum conſtituentium §. IX. ab humorum impetuoſiori dependeat adfluxu; hinc dolores ſtaphylomatis ſymptomatici exſiſtant tenſorii, vibratiui, pungentes, pulſuique reſpondentes, in aprico eſt.

§. XLVII.

Quodſi cauſſae morborum tolluntur, morbi curantur. Staphylomatis fungoſi §. XVII. XIX. ceu morbi exſiſtentis §. XV. ergo curatio conſiſtit 1) in ſublatione portionis cohaerentium fungoſarum partium prominentis, procidentiam vueae deformitatemue oculi formantis, eiusdemque 2) tunicarum ac vaſorum factae expanſionis mutatione, in non exſiſtentem.

§. XLVIII.

Intentio curatiua ſublationis §. XLVII. ex fonte chirurgico operationem diaereſin dictam haurit, quae docet partium corporis animati praeternaturalem cohaeſionem malamq; conformationem corrigi imo tolli poſſe corroſiuis, ligatura fortiori ac ferro per *princip. chirurg.* Quem autem horum modorum prae alio anteponendum eſſe experientia confirmat.

§. XLIX.

§. XLIX.

Staphyloma fungoſum corroſiuis deſtruere velle, irritum eſt conamen, nec a prudente & perito medico aut chirurgo vnquam ſuſcipiendum; cum enim quaelibet corroſiua & ſimplicia & compoſita principio gaudeant ſubtili acri, ſalino, per quod actiones ſuas exſerunt in corporis noſtri viui fibrarum texturam, ita quidem, vt eam ſoluta ſalia irritent acredine ſua, ac hac ſtimulatione efficiant, vt non modo copioſior verſus locum adfectum prouocetur humorum adfluxus; verum etiam vaſa diſtenta rumpantur, ſoluantur, ac in ſtatum fluidum conuertantur. Quanto magis itaque in oculorum partibus tendineo membranaceis §. IX. tanquam partibus exquiſitiſſimo ſenſu praeditis §. cit. ceſſare debet corroſiuorum vſus, quippe quae nimis adrodendo, pro corroſiuorum natura ac indole, fibras dilacerarent ſubtiliſſimas nerueas, atque hac dilaceratione ac diſſolutione in corpore viuo dolores inferrent exquiſitiſſimos, quos dein ſequeretur maior verſus oculum humorum directio §. XXXVI. quam poſtea inflammatio excedens exciperet. Et quoniam hac inflammatione partium tonus admodum debilitaretur, facile fieri poſſet, vt vel ophthalmia σφακελίζουσα in ſphacelum degenerans vel cancroſum vlcus, gignerentur. Ceterum nihilominus quaeſtionis eſſet, vtrum ſtaphyloma fungoſum adhibita corroſiua ῥιζόθεν deſtruere valeant? Quum itaque corroſiuorum in partibus ſumme neruoſis vſus ſemper comitentur ſymptomata atrociſſima E. in oculorum adfectibus atque ita etiam ſtaphylomate eorumdem adplicatio merito improbatur.

§. L.

§. L.

Ligatura §. XLVIII. in ea ſtaphylomatis ſpecie locum habet, in qua ſtaphyloma circa ſui radicem tenuis & petiolo quaſi pendulum eſt. Encheireſis autem huius deligationis ſequentem in modum adminiſtratur. Acus filo quodam duplicato capaci inſtructa traiicitur medium ſtaphylomatis, poſtea filamentorum extremitatibus ſeorſim ſeparatis, ligatura circa ſtaphylomatis fungoſi radicem vtrimque inſtituitur, & primo notabiliter tantum conſtringitur, ne omnis humorum adfluxus vno actu per ligaturam intercipiatur, atque hoc modo non ingentes dolores ſolum inducantur; ſed & inflammatio dira ac corruptio putredinoſa facile iuuitetur; deinde poſt duodecim vel pro re nata viginti & quatuor horas ſtrictura intendatur, donec ſenſim tam arcte conſtringatur, vt omnis adfluxus tollatur, concrementum marceſcat & tandem ſectione auferatur. Hanc autem methodum operatoriam ſtaphyloma fungoſum baſi ampla ac diffuſa gaudens ob varia incommoda, praeprimis procliuitatem ad indolem cancroſam ac ſphaceloſam omnino reſpuit.

§. LI.

Optima autem & ſecuriſſima ſtaphyloma fungoſum tollendi methodus eſt, per ferrum §. XLVIII. i. e. ſectionem. Ante autem, quam exſectio ipſa pertingat, corpus blandis purgationibus, venae ſectione in plethoricis, ac medicaminibus diaphoretico-diureticis debite praeparetur, ne ſymptomata accedentia maius ipſa operatione producant periculum. Rectius enim

monet

monet GALENVS, oculum non ſanandum eſſe ante totum caput, neque caput ante totum corpus.

ſ. LII.

Praeparatione corporis praemiſſa ſ. LI. aegroque conueniente in ſitu collocato, palpebrae vel ope ſpeculi oculi, vel digitorum nudorum miniſtri cuiusdam aperiuntur, hocque peracto, operator acum curuam filo duplici praeditam, per medium ſtaphylomatis transuerſim transmittit, acuque abſciſſa, fila, extremitatibus ſuis ſeparatis, comprehendens, primo vtrinque per nodum nectit, deinde filum tam ſupra quam infra eius traiectionem variis orbibus circumuoluit ac conſtringit. Haec itaque deligatio hanc ob rationem perficitur, quo operator filis ſtaphyloma eo commodius ab interioribus exteriora verſus trahere atque ita ſcalpello myrtiformi ſecando radicitus tollere queat.

ſ. LIII.

Operatione §. LII. finita de ſanatione fibrarum diuulſarum eſt cogitandum, quae tribus momentis abſoluitur: videlicet 1) mundificatione 2) conſolidatione & 3) ſymptomatum conueniente tractatione. Ante autem, quam hae momenta actuentur, proſpiciendum, vtrum impetuoſa ſanguinis profuſio procedat, quae ſi contingit, ſecundum Celſi & Paracelſi conſilium fluxus ſanguinis, arcendae inflammationis ergo aliquantiſper eſt concedendus; ſi vero nimius ſit, neutiquam remediis adſtringentibus & vitriolicis, ſed potius ſeroſam ſanguinis portionem coagulantibus, eſt cohibendus, in quorum ſpeciebus palmam & efficacia & ſecuri-

tate praeripit V rectificatiſſ., plumaceolo vulneri immediate impoſitus, cui ſplenia primo triangularia deinde quadrata ~a quodam diſcutiente imbibita ſuper imponantur, & deligatio faſcia, oculus ſimplex gall. l' oeil ſimple dicta, abſoluatur. Raro autem indiget adiumento comprimente, haemorrhagia quippe breui ſemet ipſam ſiſtit; propulſus dum ſanguinis imminutione debilitatur, atque ita oſcula vaſorum conſtringuntur, quo facto ſanguis tarde prorumpens, ſenſimque ſe coagulans propolis inſtar oſcula vaſorum obthurat diſſolutorum, praeter quod fluidum quoddam rubicundulum vaſculis diſſectis ſeroſo-lymphaticis emiſſum, adpareat.

ʃ. LIV.

Ad primum momentum nempe mundificatorium ʃ. LIII. pertinent 1) ſanguinis in proximis poris ſtagnantis & coagulati eliquatio, in pus conuerſio & ſucceſſiua euacuatio. Haec a natura ſequentem in modum contingunt: canaliculorum extremitates obſtructae, quae ceu partes conſiderandae ſunt defunctae, per motum ſanguinis progreſſium auctum a viuida & adhuc ſana portione paulatim detruduntur ac ſeparantur, per hunc adtritum ſanguis coagulatus atque ſtagnans in motum peruertitur inteſtinum, per quem motum eius mixtio naturalis prorſus deſtruitur, ac in fluxum & aquoſum mutatur ſtatum, qui deinceps vaſorum extremitates detruſas ſenſim dilatat, ſoluit & ad eamdem inuitat atque diſponit fluxilitatem. Hisque perfectis canaliculi tranſciſſi quidem aperiuntur; inſimul tamen per motum

ſubti-

ſubtiliorem tonicum ita conſtringuntur, vt nullum ſanguinem ſtricte ſic dictum, ſed potius liquorem tantum lymphatico-ſeroſum perſpirare permittant, qui poſtea vna cum particulis ℅ſis in ſubſtantiis tunicarum celluloſis contentis reſoluto ſanguini in canaliculis liquatis commiſcetur, ac hoc modo pus generat, quod per tractum temporis, remotis omnibus partibus demortuis, magis magisque merae lymphaticae analogum fit ſubſtantiae atque ita puriorem ac fluidiorem induit indolem. Hiſce proceſſibus ars manus porrigit auxiliatrices, & quidem adhibitis medicamentis externis abſtergentibus v. g. decoctis ex ophthalmico-vulnerariis paratis, nempe Rad. Helen. Foenicul. Ariſtol. O. Conſolid. maj. Herb. Herniar. Hyſſop. Chelidon. maj. Millefol. Veronic. Flor. Cyan. Calcatripp. Roſar. Sigill. Salomon. quae vino hiſpanico ac ▽ Fœnicul. coquantur poſteaque colaturae addatur Sacch. Canarienſ. & ⌒ Serpill. abſtr. vel V:::t leniter eroc. Item Liquam. Myrrh. cum momento ℅ Hyperic. & aliquot guttulis ⌒⊕i dulc. mixto, quae congrua methodo plumaceolis adplicentur. 2) Sanguinis per nimium adfluxum latius detenti diſcuſſio. Nam quoniam circulatio ſanguinis per obſtructa, conſtricta ac compreſſa oculi laeſi vaſcula progredi impeditur, ſanguis in dictis vaſculis reſiſtentiam inuenit, atque ita neceſſario in lateraliter diſperſos ramos & ſanguifluos & lymphaticos maior ac impetuoſior fit ingreſſus, quo facto maior vaſorum expanſio, intenſior ſanguinis progredientis adtritus, atque ita obtumeſcentia & aliquid inflammatorii conſequantur oportet. Hiſce igitur indicantibus opponuntur remedia ſic dicta

defenſiua e reſoluentibus, lenientibus ac diſcutientibus parata, ex quorum claſſe prae aliis eligantur camphorata v. g. V꞉꞉꞉. leniter croc. ~u. Serpill. abſtract. commixtus; epithemata ſicca camphorata, quaeque alia.

§. LV.

Secundum curationis momentum conſolidatione abſoluitur § LIII. Cum autem conſolidatio merum naturae opus ſit, atque ita eiusdem energiae ſpeciatim incumbat; ars nil niſi illam facilitare ac promouere valet, quod generatim duplici modo fieri comperimus, nempe α) per immediatam reunionem, ac β) in ſuppurationis genium congruam deductionem per *princip. chirurg.* Iam cum conſolidatio per reunionem in oculi vulneribus locum non habeat; hinc per ſuppurationem fieri debet, quae ab arte duabus facilitari poteſt modis, videlicet 1) ſi ſymptomata concurrentia tolluntur & 2) mundificatio ac conſolidatio poſitiue promouetur. Hoc balſamica efficaciora, ſed tamen temperata & inſtar omnium Eſſent. balſamic. Stahl. e Succin. parum Myrrh. & momento ℴℴ Terebinth. parat. Item ſuperimpoſita collyria tepide oculo admouenda ex ▽fl. Cyan. Roſar. Valerian. Saluiae Sacch. ♄n. Tut. ppt. Camph. conſtantia, praeſtant. Ne autem deformitas inſignis, vel ingens oculi corruptio & deuaſtatio obtingat, alternis vicibus plumaceolis adplicetur linimentum vulnerarium ex ℴℴ Hyperic. ℥ß Mell. roſat. ʒß Balſ. peruuian. ℈ß quo linimento aequalis cicatricis obtinebitur inductio.

§. LVI.

ſ. LVI.

De ſymptomatum conuenienti tractatione §. LIII. tam eſſentialium ſ. XLVI. quam accidentalium ſ. LIV. ſeqq. in §§is prioribus antecedentibus ex parte mentio eſt facta, qua ex re adhuc de vomitu, operatione peracta vtplurimum contingente ceu ſymptomate conſenſuali cogitandum, quod is conſenſum paris neruorum octaui cum ventriculo pro cauſſa agnoſcat, facileque, adhibitis ⊕oſo - temperantibus abſorbentibus citratis commixtis cieri poſſit. Ad aequalem inſuper ſanguinis diſtributionem promouendam bis de die alexipharmaca temperata e. gr. Eſſent. Alexiph. Stahl. Vincetox Scord. propinata conducunt. Ceterum regimen diaeteticum conueniens temperatum vbique obſeruetur, abſtinendo ab acribus, acidis, ~oſis, iracundia, praeprimis etiam eſculenta crudiora & aromata calida fugiantur, aluus ſemper ſit libera, & quoties aeger deligatur, aëris frigidi iniuriae per vniuerſum deligationis tempus arceantur. Haec de indicatione curatiua ſublationis ſ. XLVII. ſufficiant.

ſ. LVII.

Reſtat adhuc tunicarum ac vaſorum factae expanſionis mutatio in non exſiſtentem §. XLVII. perpendenda. Iam quum haecce expanſio ab excedentibus motibus ſpaſtico - congeſtoriis occluſionem, compreſſionem ac conſtrictionem procreare valentibus, dependeat, quibus humores ſtagnantes propter nimiam ſpiſſitudinem particularem excluduntur per *princ. patholog.* hinc internis congruis balſamicis ac externis reſoluentibus

bus & ſtricte dictis diſcutientibus tolli poteſt expanſio, quibus adhibitis fluidorum non ſolum tenacitas diſſoluitur, atque disrumpitur; verum etiam ſolido-mollio-rum deficiens robur irritando reſtituitur, atque ita eorum actio intenditur.

§. LVIII.

Staphyloma fungoſum curari poteſt §. XLVIII. ſeqq. & quidem eo facilius, ſi concrementum fungoſum adhuc exiguum eſt; in quanto vero maiorem ſtaphyloma excreſcit molem; in tanto maiora incommoda aeger coniicitur; quippe vel ex longinqua duratione, vel incongrua tractatione cancroideam exhibet indolem, & hac ratione nullam operationem praeter totius oculi exſtirpationem admittit.

§. LIX.

Maximopere eſt notandum, quod ſtaphyloma fungoſum funditus ſit exſecandum, niſi hoc fiat, & aliqua eius pars remaneat, facile concrementum fungoſum recrudeſcit, & ſic operatio ante acta fruſtratur. Ceteroquin, ſi omnia ex voto ſuccedunt; tamen requiritur, ad huius praeteriti adfectus recrudeſcentiam auertendam, vt aeger reſtitutus in futurum ventilationum ſanguinearum artificialium in inferioribus extremitatibus ac leniorum laxantium verſus aequinoctia ac ſolſtitia repetendorum haud obliuiſcatur, quoniam natura loca antehac a congeſtionibus incompletis §. XXVII. adfecta, ex reminiſcentia vitali iterum inuadere ſolet. per *experient.*

§. LX.

§. LX.

Sic calamum pono, quoniam ad finem perduxi ea, quae inſtituti mei ratio poſtulauit. DEO inſuper T. O. M. grates pro viribus ad hunc laborem abſoluendum clementer conceſſis, decenter habeo, Ipſique humillimis precibus futuros conatus meos etiam atque etiam commendo. Sit itaque bono cum Deo, diſſertationis huius inauguralis

FINIS.

DVm meritos Hygiea TIBI decernit honores
Et TVA Phoebea tempora fronde ligat:
Non ſteriles titulos nomenue parauit inane
Sed ſolidum tribuit praecipuumque decus.
Hoc igitur gaude multosque fruare per annos
Et miſeris gratam ſedulus adfer opem.

Nobiliſſimo Dom. CANDIDATO gratulaturus pauca haec ſcribebat

LVDOVICVS HENRICVS LEO HILCHEN,
Med. D. & P. P. O.

NOBILIS-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DN. CANDIDATO

Amico ſuo honoratiſſimo

S. P. D.

IO. GOTTLIEB KANTZAV
Perilluſtris Familiae RIEDESELIANAE in Eiſenbac Conſiliarius & curiae prouincialis Praefectus.

NOndum effluxit luſtrum, *ORNATISSIME DOMINE CANDIDATE*, *cum TE ſtudiorum cauſſa Berolini commorantem* Excellentiſſimo atque Experientiſſimo D. D. & P. SCHAARSCHMIDT amico meo aeſtumatiſſimo *per litteras traderem, eo ſcilicet animo, vt ſub auſpiciis* magni huius Medici *ſtudia TVA eo felicius proſequi poſſes. Res ſucceſſit ex voto. Teſtantur litterae, quas accepi reſponſoriae, quanto ſtudio & ardore litteris incubueris, ita, vt Praeceptor TVVS ſpem de TE conceperit certiſſimam, TE patriae olim commodo eſſe futurum. Nec ſpes ipſum fefellit. Curationes diuerſorum morborum, quas ex alma Fridericiana in patriam redux in TE ſuſcepiſti feliciter id comprobatum dederunt. Ipſe aegrotus primus fere caſu in manus TVAS incidi auxiliatrices. Ingratus eſſem, niſi data hac occaſione eximiam TVAM curam, diligentiam & prudentiam medendi, quam plus ſimplici vice expertus ſum, publice collaudarem. Properas iam ad cathedram publicum eruditionis TVAE in arte Medica ſpecimen editurus. Voto meo ſaltem TE deſerere nolui, cum mihi non liceat praeſenti eſſe teſti. Faxit DEVS T. O. M. vt porro ſtudia TVA vergant in nominis*

Sui

Sui gloriam, patriae commodum, TVORVM gaudium, decumbentium ſolamen, TVIque ipſius honorem & vtilitatem. Vale AMICE HONORATISSIME, proſit TIBI honos & ſit TIBI aurea praxis. Dabam Lauterbaci die VI Aug. M DCC XLVI.

DVm Gieſſam tendis, Cathedram ſcanſurus HORELI,
Praemia, queis dignus, praelia docta dabunt.
Gratulor! ac voueo, mox coetera fauſta ſequantur,
Ad plauſum Patriae, laetitiamque Patris.

Gratulabundus deproperabat
IOAN. DANIEL BENDER,
Inſpector & Paſt. prim.
Lauterbac.

NObilior ſenſus reliquis ſi viſus habetur
Senſibus, huius erit cura quoque egregior.
Laudo Tuos hinc conatus *Clariſſime Amice*
Cum vitium viſus tollere arte ſtudes
Incoeptis Deus omnipotens porro his benedicat
Multis vt felix ſit Tua ſedulitas.
Atque merenti ſint ſemper Tibi praemia digna.
Mox caput vt doctum cinget honos Medici.

Praenobiliſſimo Domino Candidato amorem & obſeruantiam hiſce teſtari volebat
CAROLVS CHRIST. HENR. SCHLEIERMACHER,
L. Med. & Phyſic. Alsfeld.

VIR

PRAENOBILISSIME AC DOCTISSIME, AMICE OCVLISSIME

QVi Gieſſam alacris tendis ornandus ibidem honoribus Doctoris Medici, gratulatione quadam ab amicis iure ſalutaris. Amicitiam inter nos aluimus non nudius tertius demum, ſed a plurimis iam annis. Iam diu ſane dotes ingenii TVI non mediocres probe perſpexi, animi candorem moresque cultiſſimos omni animi contentione adamaui. Conſtitueram opportuna hac occaſione confabulari TECVM ſchediaſmate quodam litterario: de malo & bono nomine medicorum in ſcholis Theologorum *e.g. aut de Medicis atheiſmi ſuſpectis, vel potius conuictis, de quibus nuper diſſeruit* Inſpector Meinungenſis C. A. ERCK *& ante aliquot annos* theologus polyhiſtor REIMMANNVS, in hiſtoria vniuerſali atheiſmi & atheorum: *aut de Medicorum meritis contra miſerum genus atheorum & deiſtarum, inter quos ante omnes alios nominandus mihi fuiſſet* Anglus ille incomparabilis NIEVWENTYT: *de Medicis Socinianiſmum propalantibus, quos enarrat* CYPRIAN in diſſert. de mortibus Socinianorum: *de Medicis, qui Papae Romani fuerunt, e.g. Nicolao V. nec non Ioanne XXI., qui varia edidiſſe ſub Petri Hiſpani nomine dicitur: de Medicis Fanaticiſmo &* craſſiori Pietiſmo *indulgentibus, vbi multi ex antiquioribus & recentiſſimo ſeculis poſſent, ſi liceret, carbone notari: de Medicis theologiae myſticae eiusque purioris tum patronis tum hoſtibus, inter quos poſteriores eminet* Hermannus ille SCHYN

ab

ab illuſtriſſimo METTERNICHIO *ſolide confutatus ſub pſeu-nomine* Aletophyli*: de Medicis, qui fuere magi, & morbos per characteres magicos curauere, teſte* BVDDEO in theſ. de Atheiſm. & Superſtit. p. 695. & 731: *de Medicis, qui caſtra Medicorum deſeruere & ad theologorum tranſiere, cuius fauſtiſſimae metamorphoſeos exemplum fuit carum olim mihi caput, praeſes conſiſtorii Gothani* CYPRIANVS, *pharmacopolae Oſtheimenſis in Francia orientali, patria mea, filius, & de plurimis huius farſaris thematibus aliis. Sed non vnam habeo cauſſam, cur eiusmodi tortuoſis quaeſtionibus circulos TVOS, VIR AESTVMATISSIME iamiam turbare nolim; ſed potius in aliud tempus differre conſuetum duxerim. At vero hoc potius amicitiae inter nos hucusque cultae leges poſtulant, vt plenis buccis inſtituto TVO & ſolemnitatibus academicis adclamem, adplaudam. Fruere ſoſpes per longum annorum ſyrma honore hoc TVO doctorali, quo* ex celebratiſſimi Collegii Medici Gieſſenſis *fauore & ex propriis TVIS meritis fulges, coruſcas.* Gaudeas Gieſſae *inter TVOS Aeſculapios & Galenos, valeas in itinere, & propediem in amplexus noſtros recens creatus Doctor redeas, ruas. Dabam Friſchbornae VIII. Id. Aug. anno aere chriſtianae MDCCXLVI.*

M. CAROL. SALOMO LIMPERT
Definitor & Paſtor Eiſenbacenſ. ac
Friſchborn. in ditione Ride-
ſelica.

DU werther Freund! jetzt wird nach Wunſch Dein Haupt geſchmückt/
Mit Purpur/ ſo Du durch beſondern Fleiß verdienet/
Mit Lorbeern/ die Dir lang im Helicon gegrünet/
Wolan/ das iſt der Lohn/ womit Du wirſt erquickt.

Du biſt gantz unermüdt den Künſten nachgegangen/
Um dieſen Deinen Zweck vergnügteſt zu erlangen/
Zieh hin mit dieſem Schmuck ins werthe Vaterland/

Diß iſt vergnügt/ die Frucht mit Nutzen zu genieſſen/
Die ſich von Deinem Fleiß beglücket wird ergieſſen/
Es ſey Dir immerdar das Wohl und Ruhm bekannt.

Was ſonſt zu wünſchen iſt; und was Dich mag vergnügen/
Das müſſe fort und fort in Deinen Fluren liegen.

Dieſes wenige wolte dem Herrn CANDIDATO, als ſeinem wertheſt-geſchätzten Freunde zur ſchuldigſten Gratulation propter conſequend. Honor. Doctor aus verbundenem Gemüthe mit beyfügen

GEORG CONRAD HOERLE
aus Bönſtadt *LL. Cand.*